



Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

§. 4. Præstantia Communionis Generalis ex omnibus ejus adjunctis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

indulgentia vivis concessa.

privatus possit satisfactionem suam iis applicare, nulla ratio est, cur non valeat Pontifex satisfactiones Christi, & Sanctorum, cum sit earum oconomus, & hi Christi membra sint, æquè ac vivi. 2. Exploratum, indulgentias vivis concessas non posse ab iis in defunctos conferri, nisi ea facultas in bullâ exprimat, quia id pendet à concedentis voluntate, quam exprimere solet, dum adest, ut in bullâ Communionis Generalis, ubi Urbanus VIII. sic ait, *Plenariam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam pro animabus fidelium defunctorum applicare possint, misericorditer indulgemus.* Adverte autè istam applicationem non sic intelligi, quasi vivus prius obtineat indulgentiam, quam defunctis tribuat, quippe eam obtinendo, pœnæ peccatis suis debitæ obligationem dissolveret, ac tum in eam se denuo indueret, non novas culpas admittendo, sed charitatis officium in defunctos exercendo: quod absurdum est. Applicare igitur indulgentias defunctis, est eas quas si velles, tibi sumere posses, defunctis transcribere.

992.
Non est opus statu gratia.

Dubitarur porrò an status gratiæ requiratur in eo, qui indulgentiam piis manibus transcribit; & probabilior est responsio negans: tum quia nec vivus, qui sibi vult indulgentiam applicare, necesse est, ut omne opus, quod ad obtinendam indulgentiam requiritur, faciat in gratia; sed sufficit, ut ultimum in eo statu peragat, quia tunc conceditur indulgentia, seu remissio pœnæ, quæ culpam remissam supponit.

993.
Qui defunctis favent certius juvantur.

Porrò gravis, & acriter controversa quæstio est, an indulgentia certò profit defunctis de qua dixi tract. de V. S. unum hic addo verbis Dicastillo authoris nobilis, et si recentioris, qui tract. de pœnit. Appendice de Purgatorio sic ait. *Valde probabile apparet, quod docet Henriquez, Rodriguez, Layman, & alii multi recentiores, Deum longè facilius acceptare indulgentias oblatas pro animabus fidelium, qui se in hac vita digniores de congruo reddiderunt tali acceptatione, ut qui pro peccatis suis ipsi etiam satisfaciebant, & indulgentias à Pastoribus Ecclesia concessas lucrari studebant, & pro aliis defunctis, dum viverent, diligenter orabant. Quod mihi maximè rationi consentaneum videtur. Imò crediderim in gratiam talium animarum, quæ in vita piissima fuerint erga defunctos, piissimum Dominum excitare pietatem aliorum fidelium, ut pro illis orent, suffragia offerant, & indulgentias lucrentur, in eis que etiam ea visa impleatur promissio Christi, Date, & dabitur vobis, & qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.*

Absolutè tamen verum est eo ipso, quo anima in Dei gratia decesserit, dignam esse, pro qua Deus indulgentias, & suffragia specialiter in eius favorem oblata, misericorditer acceptare dignetur, quamvis contrarium senserit Henricus, Caietanus, Navarrus, quibus favere videtur Augustinus l. de cura pro mortuis c. ult. ita ipse.

§. 1.

Præstantia Communionis Generalis ex omnibus eius adjunctis.

P R Æ F A T I O.

EX quo Societas JESU à magno Patrefamilias in agrum Dominicum missa fuit, stygiâ, mundanâque invidiâ teste, variis ac miris modis, indefessaque industriâ eum excoluit, pergitque, ac perget porrò ad extremum excolere. Sed haud scio, an quidquam excogitarit hætenus, vel ad viventium spirituale commodum utilius, vel ad vitâ functorum salutem fructuosius Communionem Generali. De hac Theodorus Amydenus tract. de pietate Romanâ l. 2. c. 7. sub ejus exordia ita scribit. *Jesuitarum recens inventum est promiscua quædam omnium ordinum ad sumendam Sacram Synaxim conventio. Hanc Communionem appellant Generalem, ad quam tantus mortalium concursus, ut quandoque uno die triginta hominum millia spirituali convivio refecta reperiantur. Institutum omnium maximè sacrum, iam nunc valde ampliatum est. Semel exhibetur in mense in diversis Urbis, ut omnibus usui esse possit, Ecclesiis. Quibus ne insignis pietatis opus dispendio sit, illi aggregata est Læcorum sodalitas, quæ cereorum, ac reliquorum sumptuum expensas benignè suppeditat. Concurrunt ex singulis Ordinibus Sacerdotes, qui peccata consentibus dimittant. Qui egregiam præ reliquis navat operam, Petrus est Garavita Societatis JESU Professor. Sic Amydenus. Qui tamen illud solummodo tempus spectat, quo necdum indulgentia Synaxeos Generalis ad vitâ functos autoritate Pontificia transferri poterat, ut ex proximè consequentibus apparet. Quæ translatio, ut miros excitavit motus animorum, ita frequentiam tum Romæ, tum in cæteris propè omnibus Christiani orbis partibus vehementer auxit. Quare inventum illud non tam Jesuitarum, ut ait, neque tam humanum, quam divinum fuisse usus edocet. Et mihi quidem*

994.
Institutio illius divina.

dem Communio Generalis cum arbore vitæ, quæ cælestis paradisi gloriatur, conferenda videtur.

PARS PRIMA.

Templa, Paradisi.

995.
*Templum
Cælum.*

TEMPLA Christianorum cælo esse persimilia nullus ignorare potest. nam in templis nobilissimo quodam modo Deus est, & Christus in Eucharistiæ throno magnificentius, quàm in cælo residet, ut non semel tractatu de V. S. differuimus. Deinde in templis quoque, essentia divina, non videtur quidem, sed excellenter, licet in umbrâ, cognoscitur, & ea cognitio amorem gaudiumque affine beatifico in piis animis creat, eosque ad laudes Numini concinendas exsuscitat. Quin & Diva Virgo saltem mente, ac cogitatione filio Dei, ac suo adest in folio Eucharistico sedenti (ad Matrem enim, ac Reginam spectat, nosse ubi Rex commereretur) & Angelorum agmina adgeniculantur summâ cum veneratione. Præterea Empyrei etiam nomen paradisi nostris convenit, cum revera igne ardeant & divinæ charitatis in præsentibus, nominatimque convivas, & amoris convivarum Eucharisticorum in Christum. Adhæc, quod Joannes de cælesti Jerusalem prædicat hisce verbis (*Et ambulabunt gentes in lumine eius, & Reges terræ afferent gloriam suam, & portæ eius non claudentur per diem; nox enim non erit illis, & afferent gloriam, & honorem gentium in illam*) De nostris quoque templis rata sunt: ad quorum utique lumen ex SS. Eucharistia coruscans contendunt anhelantque populi Christiani, & Reges terræ gloriam suam illi submitunt: Neque verò eorum portæ clauduntur, cum omnibus pateant, & ipsi etiam hostes, quorum metu portas occludere moris est, in gratiam cum Deo, hominibusque redeant, dum templa subiere, & culpas odiaque ad Sacerdotum pedes deponant, quo pacto nox peccatorum templis exulare dici potest.

996.
*Paradisi
Delicia.*

Verum enimvero, quemadmodum cælo nomen paradisi, sive horti rectè adscribitur, ita & templis, ubi præsertim Synaxis Generalis instituitur, competit; quod sensim ostendo. Ac cælo quidem id nominis tributum est, ob variam cum paradiso terrestri similitudinem. Nam fateri utriusque Deus est, Ait enim sacer historicus: *Plantaverat autem Dominus Deus paradysum voluptatis à principio.* Gen. 2. In quo ipso tum dignitas paradisi, tum etiam mirifica Numinis plantantis industria de-

monstratur, ut rectè Rupertus Abbas l. 2. cap. 25. in Gen. Est autem uterque hortus; quòd ad delicias factus, & confitus sit, & propter earum vim eximiam, additur *hortum esse voluptatis.* Siquidem ut in paradiso terrestri nihil triste observari poterat, propter statum beatitudinis naturalis, & propter eundem omnia summè jucunda grataque accidere oportebat; ita multò potiùs in paradiso illo cælesti omnia deliciis circumfluunt, nec luctuosum quidquam potest obtingere. Cujus Joannes testis in Apocalypsi cap. 21. *Et absterget, inquit, Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra; quia prima abierunt, & dixit, qui sedebat in throno, Ecce nova facio omnia:* nempe ut intelligamus nihil unquam in terris simile aut secundum deliciis horti cælestis extitisse. His adjice cum terrestres, tum cælestis paradisi arbores egregias. *Produxit enim Dominus, ait Moyses Gen. 2. omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave.* Porrò etiam in cælesti paradiso veras arbores, veros flores, ac fructus, cæteraque sensuum oblectamenta revera extare, vel certè post resurrectionem extitura docent S. Thomas, Suarez, Soto, Henricus, Major & alii: nempe ut etiam corpus propria mercede, propriisque deliciis in cælo perfruantur.

Cæterùm nihil adeo exornat paradysum vel terrestrem, vel cælestem, quàm arbor vitæ. nam terrestris quidem immortalitatem corporibus tribuisset: Et si SS. Patribus Irenæo, Hilario, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, Epiphanio, aliisque fides habenda est, plenam & absolutam: nec ratio deest.

997.
*In eo arbor
vita.*

Cum enim in manu Dei esset efficere, ut arbor vitæ hominem pristino vigori semper restituisset; cur id effecisse negetur? nec refert quod & arbor, & ejus fructus essent corruptioni obnoxia. Poterat siquidem arbor propagari, ut alia, hæcenus, ac deinceps: & quod una fructus illius manducatio non præstitisset, neque duæ, tresque; poterant plures præstare. Accedit quod Bonaventura, Molina, & alii vim, illi supernaturalem reparandi humidum radicale assignent. Et sanè cum Justitia Originis multa supra naturam inveheret, cur non etiam talem ab eâ arbore immortalitatem?

998.
*Dans im-
mortalita-
tem.*

De cælesti porrò arbore vitæ aliter philosophandum: de qua sic Joannes Apocalypsis 2. *In medio plateæ eius, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum*

999.
*Est etiam
in paradiso
cælesti ar-
bor vita.*

fructum suum & folia ligni ad sanitatem Gentium. Ubi animadvertite lignum illud vitæ non aliud esse, quàm divinam essentiam, cujus beatissimo intuitu pascuntur Cælites cum incredibile voluptate: quia visio beatifica & amorem, & gaudium beatificium procreat. Et quoniam visio illa fixa, permanensque sit necesse est, ne beatitudo instabilis sit, ac fluxa, atque adeò desinat esse beatitudo; cibis ille divinus Beatis immortalẽ vitam conferre dicitur, ac proinde additur; *Lignum vitæ singulos fructus reddere per singulos menses*, quia semper æquè jucunda, ac sælix visio est, semperque ideò recens, ac nova dici potest. Quare non mirum, si Beatorum canticum novum esse à Joanne memoretur; dum ait, *Et cantabant canticum novum.* Porrò illius arboris folia Cornelius quidem interpretatur dotes seu animi, seu corporis Beatorum: sed cum folia ad arborem pertineant, eamque exornent, malim attributa, seu perfectiones divinas foliis illis adumbrari, ita ut essentia sit velut radix omnium, infinitas truncus, rami sapientia ac bonitas: cætera prout modo nostro intelligendi longiùs ab essentia dimanant, foliorum nomine accipiantur. Cæterum & ea dicuntur conferre *ad sanitatem Gentium*, non quidem instaurandam, aut augendam, sed conservandam: id est, immortalitatem quoque patere. Et enim quidquid in Deo est, Deus est, ac proinde sui conspectu pascit, ac beat, quippe quòd Deus bonum sit omni respectu infinitum, & cum sui visione possideatur, possessio boni infiniti, non possit videntem non beatum reddere.

1000.
Templa
paradisi.

Porrò hæc quoque templis Christianis adesse, ac propterea paradisi nomen iis etiam competere, nunc demonstratum eo. Si quidem & hæc à Deo velut consita sunt, quia etsi homines ea construunt, non sunt tamen templa, nisi Deus per Ecclesiæ Pastores ea consecret, & tum demum sacratissima sunt, cum Christus Dei Filius præsentia suâ Sacramentali ea dedicavit. Deinde ad delicias omnium quidem eommuniter, sed mentium præsertim Deo devotarum constructa sunt, quæ tantæ sunt subinde, ut redundent, & simul cum lacrymis pietatis testibus, per oculos velut exundent: quare paradisi voluptatis possunt appellari. Et verò etsi oratio, familiaritasque cum Deo, ubi vis locorum suavis sit, tamen in templis præsertim deliciis affluit, præsentem etiam quæ homo est, & plenus humanitate, animarum Sponsio. Ac proinde Dominici, Xaverii, Borgia, alii-que innumeri haud paulò avidiùs, frequen-

tiusque in ædibus sacris, quàm in profanis precari Deum soliti. Neque dicas non quadrare templis, quod paradiso, cum ex eo lætus exulet, in templis autem abundet maximè; quia in iis peccata desentur: exploratum enim est solas illas poenitentinis lacrymas non esse amaras, quin & dulcedine perfusas esse, præsertim ubi Christi sanguiniae meritis immiscerentur, videlicet in confessione sacramentali, aut divinâ synaxi.

Incumbit igitur jam nobis ostendere nullum pulcherrimarum arborum genus in hoc paradiso desiderari. Et ecce eas nobis digito commonstrat Vates Regius, ubi de Numinis cultore sic canit, *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia, quaecumque faciet, prosperabuntur.* Et Christus *Arbor bona*, inquit, *bonos fructus facit.* ubi liquet de viro iusto illum agere. Atqui pleni sunt paradisi nostri ejusmodi arboribus, & hæc frondibus, floribus, ac fructibus refertæ. Et frondes quidem, id est, cogitationes bonæ, piæque, ubi frequentiores, vernantioresque, quàm in templis, in quibus Zephyrus ille divinus, Spiritum Sanctum intelligo, afflatu suo, pluviaque cælesti hortos animarum mirè fecundat, & quidquid oculis obversatur, ad sanctas cogitationes hominem invitat? Flores quoque, seu pia desideria in paradisis nostris ubertim pullulant, vigentque, sive quia ex sanctis cogitationibus ortum habent, sive quia orando pariuntur, sive quia sol Justitiæ Christi arcanis suis influxibus, seu influentiis, ut vocant, illa ex animis elicit. De fructibus quid dicam?

1001.
In quibus
arbores
pulchra.

Sunt enim, qui non nisi in templis fructum illum pietatis efferunt. Sunt, qui fructum auræ charitatis multò verius ferunt, quàm arbor illa in Hispaniolâ: de qua sic Petrus Major apud Nierembergium Hist. naturalis l. 14. c. 2. *Quaecumque pateat iter, per apertas, mollesque scatebras, ramos ad superna supercilia montis emittit, neque unquam datur quiescere, donec cæli auram assequatur. Formare ibi viso æris fulgore bractæas, & grumos pro fructu animadvertitur. Hæc sunt, quæ per universam disseminantur insulam, per alluviones raptata ad ima de naturâ ponderosorum, non autem illic procreari putant, ubi leguntur, in siccis præsertim. In fluminibus aliter: radicem arboris auræ tendere ad terræ centrum inquitunt, & ibi coalescere: quod namque profundius effodiatur, ed truncos reperiunt crassiores, si per montis scatebras liceat. Et ramis filo subtiliores aliquos capiunt, digitos*

1002.
Aurifera.

digitos equantes alios, pro scissurarum biatu. Accidit & incidisse in cavernulas auro subvas, per ramorum tamen ascendenti-um vias, quibus repletis ex substantiâ trunci serpente, ab imo carpit iter ramis qua pateat. Interciditur sæpe saxi soliditate. In cæteris rivis tamen nutritur ex virtute & balni radicum. Hæc ille.

1003. *Omnis generis.* Sunt etiam, qui in paradisis nostris fructum contritionis, ac sancti doloris ferunt, similes illi arbori, quæ cum unica sit in insulâ Ferreâ (quæ inter Canarias numeratur, caretque fontibus, ac fluviis) tamen ex foliis tantum stillat liquoris, quantum hominibus, ac pecoribus potandis sufficit. Sunt præterea, qui in iisdem patientiam fervidâ prece obtinent, quos recte comparari illi arbori, quam ferunt in Javâ Majori nasci: esseque medullæ ferreæ, exilis quidem, sed quæ ab imò porrigatur ad summum plantæ fastigium, cujus fructum qui gerat, ferro aiunt esse impenetrabilem, vide Nieremb. hist. nat. l. 14. c. 49. Adhæc in iisdem paradisis crescit quasi sponte intima animi devotio ad SS. Eucharistiam, quæ sui compotes reddit similes illis arboribus. quæ Plinio auctore lib. 18. cap. 18. eo anno, quo victus est Hannibal Pub. Ælio. & Cn. Cornelio Consulibus, fruges pro fructibus dedere. Ad extremum plurimi fructum pietatis in illis paradisis pariunt, quam cum Paulus ad omnia esse utilem assermet, cognoscimus palmæ Indicæ similem, ex qua indigenæ quæcumque ad vitæ usum necessaria sunt, omnia depromunt, usque eò, ut etiam funes nauticos subministraret.

PARS SECUNDA.

In templis Sanctissima Eucharistia, est arbor Vitæ, quatenus per Synaxim generalem sumitur.

1004. *SS. Eucharistia arbor vitæ.* VERUM enim verò quemadmodum præcipuum decus paradisi cum cælestis, tum terrestris est arbor vitæ; ita paradisorum nostrorum princeps gloria est. Sed quæ in his arbor vitæ? nempe JESUS CHRISTUS Dominus noster quatenus adest in SS. Eucharistiæ Sacramento. Cur ita? Primum quia sic docet Angelicus Doctor Opusc. de Sacramento Altaris c. 6. Cujus hæc est oratio. *Sicut initium corruptionis, & mortis cepit à cibo vetito, scilicet à ligno scientiæ boni, & mali; sic initium iustificationis, & vitæ, incipere debet à cibo, scilicet ligno vitæ, id est, à corpore Domini.* Ita ille, qui dicta confirmat ex illo Christi apud Joan. c. 6. *Nisi mandu-*

caveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Et eam sententiam illustrare licet: Quod Beda, Rupertus, Ansbertus, Ribera, & alii per lignum vitæ. quod in paradiso cælesti vidit Joannes, eundem Christum intelligant, cujus folia volunt esse verba, quibus ipse Beatos omnium gentium mulcebit, ac consolabitur, quem in sensum Petrus, *Domine, ait, quod ibimus? verba vitæ aeterna habes.*

1005. *Pater ex effectis.* Ex quibus colligere licet eundem Redemptorem, divino illo Sacramento pariter hoc nomine arboris vitæ appellari posse. Et sanè proprius hujus Sacramenti fructus est virium animi reparatio, cujus extat disertissimum S. Basilii testimonium in c. 3. Isaia. Verba attexo. *Quemadmodum enim corpora nostra convalescunt, ac firmantur, sub aeterna sumptione congruentium alimentorum: ita quiddam est, quod consentaneè pascit animam, eique suggerit vegetas vires ad bonitatem consecrandam. Quid illud tandem est? nimirum quod dixit Dominus, quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ita ipse. Cui adde Prophetam Regium, qui panem, Eucharistiæ figuram, (aspiciens opinor, ad veritatem) modò *Cor hominis confirmare, modò pinguem esse, modò substantificum, & adiposum asserit.* Mitto alia ejusmodi, ne vel hic actum agam. Illud solum moneo, corporis immortalitatem Eucharistico convivio deberi, ut latè probavimus non uno loco tractatus de V. S. Id nunc ago, ut eundem Servatorem ostendam in Communionem Generalem nominatim, arboris vitæ esse, ac dici debere. Quam rem ut pro dignitate pertractem, ab omnibus adjunctis, seu circumstantiis arboris vitæ, decus illius colligo, & Synaxim Generalem undequaque perillustrem demonstro.

1006. *Quis? Deus camplantavit.* Atque arborem quidem vitæ asserendum est à Deo ipso plantatam, seu potius primùm productam fuisse: nec enim plantari poterat, quæ alibi prius minimè extaret, ut vel ipsa, vel ejus germen, ac furculus plantari posset. Id quod ad illius nobilitatè spectat, cum ea arbores, ac luci, majore sint in pretio, ac honore, qui à Regibus, ac Magnatibus sunt consiti. Porrò Sanctissimam Eucharistiam à Deo inventam, perfectamque esse, cum ipsius Christi in ea effectio, tū vis immensa prodigiorum eadem contentorum, tum effectus ejus divini plus nimio comprobant. Quæ autem Communio Generalis est, non potest, ut diximus, alium à Deo agnoscere auctorem.

1007. *Non Societas.* Et tū enim Societas JESU eam instituit, primùm inducendis ad frequentiore Synaxim

naxim mortalibus sub Paulo V. (quo tempore indulgentia ad illos solos pertinere poterat) tum juvandis piis manibus, ad quos eandem plenam Indulgentiam auctoritate Urbani VIII. porrigere licuit, Tamen fateatur lubens Societas Synaxim illam suum opus dici non posse, nec debere. Etenim jam inde ab ejus ortu prodigio simile fuit ad eam celebrari, ut dici posset, *Digitus Dei hic est*, hic Deus agit, & divinitus aguntur homines ad frequentandam Synaxim, ubi ubi Generalis communio instauratur. Deinde pares exordio fuere progressus, & contra quam in ejusmodi institutis a vidè, ferventerque ceptis evenire solet, non defervescit sensim ea pietas, neque deflorescit Synaxis Generalis: sed suo in vigore permanet. Itaque hac sanè in re authorem suum non hominem, sed Deum prodit.

1008.
Idè, indicavit.

Quin & ipse per se alià, & insuetà ratione indicavit. Nam Romæ anno partæ salutis 1615. in Domo Professa Societatis JESU quidam è nostris hoc prodigium è suggestu retulit. Istomet anno currente, cum Synaxis Generalis ad Divæ Mariæ trans-Tiberim celebraretur, quemdam Italum eò se ex merà spectandi cupidine contulisse. Cum autem in areâ templo illi objacente deambulat, quemdam in speciem egenum, stipem ab eo petiisse, tulisseque non semel repulsam. Tum verò insueto Numinis afflatu ad eum inopem se convertisse studio illam largiendi. At hunc subjecisse, nec opis, nec stipis sibi opus esse. Quamobrem marsupio manum abstineret. Quippe è monte Gargano illuc se profectum, ut eum de corrigendâ vitâ, quam abhinc annos viginti depravatam duxerat, neque umquam interea legitimâ confessione nozarum expiarat, admoneret. Alioqui imminere capiti ipsius vindicem supremi Judicis manum, tot scelera castigaturam. Obstupuit homo ad ea nuncia, maximè quòd neminè, Numine excepto, animi sui conscium esse sciret. Cumque subito mendicus ille, & speciem, & sui conspectum oculis attoniti eripuisset, templum subit, meliora decernit, noxas apud Sacerdotem deponit, Synaxi Generali non vulgari pietate perfungitur, facitque copiam confessorio rem gestam patefaciendi. Eam tum temporis ex ipsius Concionatoris ore audivit R. P. Toslanus Bridoul, mihi que retulit. Ubi cum fictus ille egenus Gargano de monte veniens, verum Michaëlem indicet, isque Ecclesiæ Catholicæ sit Patronus, scilicet abundè pater, & Divo illi Synaxim Generalem probati, tamquam Ecclesiæ utilem, & Numini charam esse, atque

ad eam instituentem consilium Societati divinitus inspiratum fuisse. Quocirca rectè Theodorus Amidanus proximè superius à me laudatus eam nuncupat *Institutum omnium maximè sacrum*. Rectè alii *sanctissimam artem* divini Amoris; ego *Arborem vitæ* à Deo plantantam rectè pronuntio.

Atque ecce quadam orationis sponte venio ad secundam circumstantiam, & quid propriè Communio Generalis sit, significo. Est, inquam, arbor vitæ. Dixi equidem, & ni fallor, satis ostendi, Christo, quatenus in Eucharistia spectatur, nomen, ac virtutem arboris illius convenire; sed tamen habet aliquid Communio illa, quo & cæteras exsuperet, & Christo sibi que nomen illud præ cæteris mereatur. Cum enim à vitâ, & immortalitate mortalibus impertiendâ arbor vitæ diceretur, Communio Generalis eò potiori jure talis dici potest, quò vitam diuturniorem, & pluribus, quam reliquæ synaxes, hominibus impertit. Porro diuturnitas vitæ spiritualis ex gratis actualibus, fortioribus, & opportunioribus, itemque frequentioribus pendet. Harum enim beneficio homo diutiùs in statu gratiæ sanctificantis permanet, atque ad eum diutiùs vitam vivit Filii Dei, ac divinam. Quò autem quis ardentiori cum pietate Eucharisticis epulis vescitur, eò perspectum est, sive ex opere operantis, sive ex opere operato, & efficaciores, & crebriores gratias actuales ex Sacramento illo Sacramentorum percipere: quoniam pro dispositione, seu apparatu epulantis agit, ac proinde eò potentiùs, quò amplior est digniorque apparatus. Atqui dum obeunda est Communio Generalis, non pauca sunt, quæ hominem ad delicias illas Eucharisticas avidiùs degustandas excitare consuevere.

Quorum ego quidem non infimum esse arbitror, quòd cum providentia Numinis eò Societatem JESU condiderit, ut Sacramentorum poenitentiae & Eucharistiæ usum in pristinum vigorem restitueret, eumque tueretur (ut experienciâ manifestum evasit) peculiarem illi gratiam ad eum finem assequendum largiatur. Quemadmodum solet cuique propriam ad suum munus præstandum concedere. Quâ gratiâ factum est, hodieque fit; tum ut accommodatas ad id industrias ei suggerat, tum ut mortales ad eas benè afficiantur, quidquid de more oblatret demon, & mundus, ad eum ut ii ipsi, qui palam obloquuntur, clanculum exercitiis pietatis, quæ Societas instituit, sese inferant, eaque lubentes obeant, atque ad eum eveniat, quod

1009.
Quid Synaxis Generalis? arbor vitæ.

1010.
Dei providentiâ fit ut Synaxis Gen. avidè obeatur.

Regius

Patrocinium Defunctorum. *Lib. III.* 319

Regius Psaltes de viro justo vaticinatus est Pl. I. *Et omnia quaecumque faciet, prospera buntur.*

1011. *Eodem confert indulgentia pro defunctis.* Accedit propria huic instituto ratio, quod indulgentia plena noxarum, Synaxi Generali annexa sit, quam transcribere piis manibus integrum est. Ex quo consequitur, ut eò avidius, ardentiusque obeatur à mortalibus, & mortui, mortuorumque Tutelares Angeli, quorum valde interest ad levamen tantæ calamitatis, Synaxim cum eximia pietate celebrari, sacros convivias ad officium suum hujus generis exsuscitent. Ac de Tutelaribus quidem satis exploratum mihi est ob summam eorum benignitatem, misericordiamque in clientes tam infaustos, tum potissimum divino pietatis ardore convivias accendere, omnesque esse Urieles.

1012. *Et piorum manuum adhortatio.* De piis autem manibus, iis nempe, qui in atrio cœli ad beatitudinem aspirant, perquam mihi simile vero videtur eos quoque parentes, amicos, aliosque ad Synaxim invitare, turbis communicantium sese insinuare, hortari, monere, ut Synaxim precesque ad indulgentiam necessarias piè diligenterque expleant: tum quia mediocre ex indulgentia sibi applicata subsidium expectant, tum quia ejusmodi excursionem à Deo flagitare, atque adeò impetrare possunt. Quin etiam defuncti illi, qui Purgatorio detinentur, cum dies Synaxi destinatas recorderentur, iis ipsis preces suas ad Deum accedunt, ut Sacris convivis pietatem indat, atque eosdem excitet, ut segete lætiori, florentiori que uberiorem ipsi messem solatorum colligant; præsertim quia experientiâ noverunt, multos ex suis velut contribulibus, tempore ac virtute Synaxeos Generalis ergastulo illo asertos fuisse. Quibus omnibus accedit ingens vis hominum Synaxim illam celebrantium, de qua sigillatim postmodum. Nam frequentia precantium omnes, qui precantur, inflammat igne pietatis. Quippe & languidi fervidiorum præsentia, conspectuque accenduntur, & fervidi illorum frequentiam magis exardescunt, & denique Spiritus Sanctus, quod amor sit ac vinculum Divinitatis, cœtibus ad suam gloriam coactis interesse amat, scilicet ad munera, favoresque suos singulis & universis largiendos.

1013. *Ad indulgentiam confert pietas communicatio.* Quanti porro intersit ad indulgentiam plenæ quæstum hæc fervida pietas, disce ex Theologis. Petrus Dicastillo, nobilis Theologus, append. de Purgatorio art. 8. sub finem sic ait. Advertendum est primum quavis de facto sit sufficiens causa, ut indulgentia v. c. plenaria concedatur, fieri

nihilominus posse, ut in particulari non quicumque integram consequantur indulgentiam; quando scilicet aliqui multum pœnitentiæ debentes pro peccatis commissis, opus injunctum tepidè nimis, & minùs utiliter ad finem indulgentiæ propositum peragunt, ac proinde causâ tantæ remissionis ipsorum respectu finis deficit. Id videtur expressisse Bonifacius VIII. in Extrav. de penit. & remiss. ubi postquam pro Anno 1300. visitantibus Basilicam SS. Apostolorum Romæ, plenissimam omnium peccatorum indulgentiam concessisset, subjunxit: unusquisque tamen plus merebitur, & efficacius indulgentiam consequetur, qui basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit. Idemque tradit Bonaventura, Navarrus, Coninck, Layman, & alii viri docti, qui hac ratione respondent difficultati communi, quomodo fieri possit ut qui alioqui paulò ante mortem exhibuere opera præscripta pro indulgentiis plenariis, nihilominus in Purgatorio per multos dies extiterint, nò tantum pro peccatis venialibus tunc fortè, quando opera exhibentur, quoad culpam nondum remissis, sed pro aliis peccatis etiam mortalibus, quorum remissio quoad culpam procul dubio facta fuerat in hac vita; & tamen non obstante indulgentiâ plenariâ diu multumque passi sunt, ut viris sanctis in variis apparitionibus significarunt: nimirum quia opera exhibita pro lucranda indulgentia non ita fervidè, ut par erat præstiterunt, ut dictum est. Ex quo fit, ut multi viri timorati, ac pii, quando opus præscriptum iterum, ac sæpius repeti potest, intra tempus designatum id faciant, ut quod semel negligenter actum fortasse fuerat, iterum redintegrando opus resarciatur. Hactenus Dicastillo. Quare cum id negligentia per Synaxim Generalem vel omnino, vel magnâ ex parte tolli solitum sit, quanti faciendâ sit, liquet. Certè apparet cur rectè huc accommodes illa Ecclesiastici; *Lignum vita est huius, qui apprehenderunt eam*, nempe Sapientiam increatam Sacramento Eucharistico contentam, quando per Synaxim præsertim Generalem percipitur.

At ubi tam bona fors obtingere potest? 1014.
 Quæris ubi, cum jam universum orbem ubi? ubi-que.
 pietas illa Synaxi Generali complexa sit?
 Quære potiùs, ubi non celebretur, & invenies illic dumtaxat, ubi homines mortui sunt hæresis veneno, vel aliâ peste infidelitatis; vel certè ubi de vitâ immortalis, æternæque non laborant. Est autem inter arborem vitæ, quæ in paradiso terrestri sita erat, nostramque similitudo proposito nostro consentanea.

Quem.

Quemadmodum enim, Bonfrerio authore, in paradiso, unica tantum fuit arbor vitæ, sive quòd id sacris litteris magis consonum, sive quòd duo dumtaxat homines essent, multoque pluribus unica arbor suffecisset, quippe eius fructu non ad quotidianum cibum, sed ad medicinam subinde tantummodo usuris: Ita primùm dumtaxat Romæ, quæ ob loci sanctitatem, amenitatemque, & elegantiam paradisi terrestri nuncupari potest, Communio Generalis cœpta, & nostra vitæ arbor plantata fuit. Quemadmodum etiam propagato hominum genere, propagata fuisset vitæ arbor vel in paradiso, vel etiam, & veriùs, extra paradysum ne ab hominibus quaquaversum orbem habitantibus fructus illius tam procul petendus fuisset. Ita Communio Generalis Romæ in reliquam Italiam propagata fuit. Tum verò latissimè in Hispaniam, Belgium, Germaniam, Poloniam, Galliam dispersa. Quid? quod utrasque Indias, quod Antipodas pervagata sit, usque adeò, ut Paraquarienses, gens olim fera, & anthropophagiæ dedita, ejus fructu frequenter utantur. Quamobrem nonne tibi videtur nostra hæc arbor vitæ hæc quidem re similis esse illi ficui Indicæ, de qua sic Theophrastus l. 4. de plantis c. 4. Gaudet India fico, arbore, cujus anniculi rami in humum deflecti, actis radicibus denuo surgunt in novas propagines: adeò ut in orbem circa primum truncum silvâ factâ, quasi diversas porticus fornicato opere efficiant. Istarum arborum aliquæ 60. passus in orbem complectuntur, effundentibus sese novis semper stolonibus ultra priorum ambitum circum parentem. Altitudo verò tantum attollitur, ut ad 250. passus umbram ejaculentur. Ingentium ramorum maxima densitas; folia peltæ magnitudine: fructus non maior cicere, fici effigie, unde Græci ficum appellant. Ita Theophrastus. Et verò Malvenda lib. de paradiso terrestri c. 16. conjectat ex hujus Indicæ ficus, quam in paradiso constituit, foliis, Protoplastos perizomata sibi, sive cinctoria consuisse, quorum unum à fronte, alterum à tergo; propter magnitudinem, totum hominem contegere potuerint. Quæ res utcumque se habeat; constat illius arboris instar, nostram vitæ arborem circum circa Romam, ubi primum plantata est, quaquaversum ramos diffudisse, & ingentem silvam sui propagatione effecisse: fructumque illius, etsi cicere haud multo majorem, totum ferè orbem alere ac folia hominem tegere, non quidem ad arcendum pudorem, sed peccata, & ad flammæ purgantis vel levamentum, vel extinctionem. Cæterum

quod attinet ad ejusdem fructum, atque alimentum, in eo quoque quod per se, ac seclusâ convivarum dispositione in omnibus æquale est, similis est arbori vitæ paradisi terrestri, quam profectò necesse fuit æquales fructus ubique parere, ne vitam ubique non æquè restauraret, atque adeò ubique non conferret immortalitatem. Denique in ista propagatione Synaxeos Generalis duæ res admiratione dignæ apparent. Prior, quòd præter cæterarum arborum modum quolibet cœlo fructum ubertim ferat, crescatque, atque alios ex se progignat: Posterior, quòd quòd latiùs funditur: eò ubique lætiùs proveniat, dulcioresque fructus proferat, quoniam dum quisque sacrorum convivarum audit Synaxim ita diffundi, ad eam piè celebrandam, frequentandamque magis accenditur.

Sed nunc juvat intelligere, quibus nita-
tur auxiliis, sive unde virtutem tantam ar-
bor ista mutuatur. Duplex est, ut antehac
diximus, fructus Communionis Generalis,
prior ad viventes pertinet, posterior ad
vitâ functos, Illos alit ad immortalitatem,
& hanc vim à Sacramenti ratione sortitur.
Hos autem expurgat, aptatque, vel statim
expedit ad eandem immortalitatem, solu-
to Purgatorii lytro, & hanc virtutem mu-
tuatur ab indulgentia. Sed enim quid ad
arborem vitæ spectat indulgentia? omnino
spectat, ut folia ad arborem, ornat enim il-
la Communionem Generalem, & velut
vestit, ut folia arborem. Porro foliis arboris
vitæ, maximè cælestis, affinis est. De
his enim Joannes, *Et folia*, inquit, *eius ad
sanitatem Gentium*. Enimverò nonne tibi
videntur folia nostra conferre ad sanitatem
Gentium, quando indulgentiæ piis mani-
bus addictæ beneficio, illi heu! febri ar-
dentissima, simulque molestissimo asthma-
te, tantùm non confecti curantur, sanan-
tur, & beata immortalitate donantur? At
cur defuncti *Gentes* vocantur? An quia
remoti sunt à nobis? an quia etsi parentes,
& amici, velut exteri habentur; An quia
permulti sunt, & diversis ex gentibus in
Purgatorio tamquam novum orbem consti-
tuitunt? Quidquid dicas, miserimi sunt,
& folia illa vehementissimè desiderant ad
sanitatem.

Et sanè hæc similia illis sunt, quæ gerit
herba Indicæ Occidentalis, quam Axothiatl,
seu *Florem aquæ* nominat. De qua lib. 15. foliis axo-
c. 45. historix natur. sic Nicrembergius. *thiatl.*
*Radicem raphani fibratam fundit, & ex
ea caules aliquantum purpureos, folia sa-
lignis proxima, florem oblongum, & lu-
teum, & in vasculis longiusculis semen.*
Radix

1016.

Quibus au-
xiliis? be-
neficio in-
dulgentia
tantus fru-
ctus.

1017.

Est simila
foliis axo-

Radix est subdulcis, glutinosaque natura, ac frigiditatis, humectantisque temperiei. folia resoluta ex aqua, epotique pugilli mensura, aut corpori illita febrem dicuntur expellere, ac mederi lassitudini; asthma item sumpta, strumisque apposita diarrhoeis, usionibus, ulceribus internis, atque externis, renum ardorem mitigare, & corpora fulmine contacta fovere. Ita ferè ipse. Nemo autem negabit folia nostra, id est indulgentias febrium animarum purgandarum extinguere: mederi etiam earum lassitudini ex mora Purgatorii contracta: Asthma quoque ex aspiratione ad caelum perpeti enatum curare, usiones item ab illo igne acerrimo profectas, & ulcera conscientiae mitigare. Denique animas fulmine sententiae Christi in particulari iudicio tactas solari, ac fovere. Quare singulari quodam, ac praecipuo jure ad sanitatem Gentium illarum conferre dicuntur, & praeterea flos aquae, quoniam instar aquae peculiariae, flammam purgantes, aut temperant, aut extinguunt.

1018.
Communi-
onis Gene-
ralis orna-
menta.

Atque haec subsidia merito voces intrinseca, alia sunt extrinseca, seu externa, quae ad celebritatem Communionis, atque ad piorum manium amplius solatium conferre possunt. Tale est aeris campani pulsus solemnis, aedis sacrae singularis apparatus, modulatio musica, numismata, quae Romae quidem singulis convivis tribuuntur, conciones, supplicationes, & id genus alia. Atque ut supplicationis aliquod exemplar hic extet, visum est supplicationem Arschotanam nuper felicissimo successu institutam prope ad verbum, prout ad me missa est à R. P. Judoco Andries, & ab ejus institutore P. Judoco Vandermesch per scripta, hic referre; enimvero lucem tractatui affundet.

ENARRATIO

Supplicationis, & Communionis Generalis habitae 27. Augusti Anno 1656. in urbe Arschotana, Quae tertio lapide distat ab urbe Lovaniensi.

1019.
Exempli,
supplica-
tionis pro
Synaxi
Genera-
li.

ARSHOTI celebravimus Communionem Generalem, quam finitimis in pagis quindecim, Theologi nostri pro concione, ut Antecinerale Indulgentias solent, late promulgaverant. Promulgationis dies fuerat D. Bartholomaeo sacer. Hoc pietatis opere feriis autumnalibus praesumus. Communicaverunt bis mille, & ducenti circiter. Toto oppido non

nisi mille, & 500. qui sacro reficiantur pabulo, numerantur. Undique certasse videtur ardor rusticorum, qui accurrerunt, cum civium pietate. Haud dubie plures accurrissent, nisi binis in pagis, ex maxime urbi vicinis templi dedicatio, quae in eam diem inciderat, accolarum animos, in alias curas avertisset. Ductore R. P. Rectore decem è Nostris Patribus confessiones excepere. Ipso die mane hora septimâ per nostrum habita de animabus concio; altera à meridie cum gratiarum actione de eodem argumento vespere inter a claudes: ne abeam longius, à summo sacro, per praecipuas oppidi vias processit supplicatio hoc ordine. Praeferebat civium aliquis atrii coloris labarum cruce superne eminente. In medio depictae inter flammam animae sublatis oculis, manibusque B. Virginis Mariae in aere conspicuae opem implorabant. Sequebantur Angeli Duo, qui hunc gestabant titulum, *Indulgentia Plenaria, pro vivis, aut defunctis.*

Tabella erat, quae ad valvas templi pepererat: sub imagine supplices in ignibus animae. Proximè in scuto puellae binae illud 2. Machabæorum 12. ostentabant. *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* Quem titulum sex spectacula, quae enumerò, exponebant. Singula spectacula suos habebant titulos, quibus exponebantur: Sic ego eos variis notis distinguo. Spectaculi primi hoc erat in scuto argumentum. pietas in animas Purgatorii in veteri testamento commendata. Titulus 1. historiae. Judas Machabæus liberalissimam eleemosynam olim in veteri lege transmisit Hierosolymam pro sacrificiis in gratiam militum prostratorum. 2. placuit caelo pietas. Biennio ergo post secundam quietem vidit Oniam dudum defunctum Pontificem pro omni populo deprecantem. 3. Vidit & Hieremiam Prophetam, qui ei gladium aureum donabat, hac additâ tesserâ, *Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deiciet adversarios populi mei Israel.* 4. Commisso deinde proelio Judas cum tribus dumtaxat millibus, triginta quinque hostium millia prostravit. his praemissis ferebatur pictura, quae rem gestam exhibebat, visionem scilicet, & victoriam.

Spectaculum 2. Argumentum in scuto. Animae precibus adiutae mortis periculo suum vindicem eximunt. Titulus 1. Civis Vallisfoletanus, quoties Deiparæ pertransibat caemeterium, toties precationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro defunctis recitabat. 2. hic noctu dum per idem caemeterium iter intendit, repente inimicorum strictis gladiis irruentium turbam

undique cingitur. 3. Illicò armati magno numero manes prorumpunt è tumulis, fugatisque sicariis defenforem suum mortis periculo liberant. Hiero. Gratianus l. de Jubilæo; tum res apparebant in imagine: terribiles scilicet visu manes, & armati suæ quondam artis instrumentis, ligonibus, tribulis, malleis, falce, hastis, gladiis, quibus libratis in ictum, hostes precantis flexis genibus vindicis fugientes persequabantur.

Spectaculum 3. Argumentum. Liberatæ purgatorio animæ suppeticas veniunt laboranti vindici civitati, quæ ideò Dei civitas nuncupata est. Titulus 1. Eusebius Dux Sardinæ, unius civitatis vectigalia in solatium defunctorum impendit. 2. Interceperat hanc urbem Salæ Princeps Ostorgius. Ex insperato Eusebio 40000. armatorum millia candicantibus armis ac vexillis suppeticas venère. 3. Professi sunt sese è summi Imperatoris familia esse, denique Eusebio auxiliares fore. 4. Porrò urbem Eusebio recuperarunt: quo factò eorù Princeps ad Eusebium conversus, Hi milites, inquit, animæ sunt, quas Purgatorio exemisti. 5. Insiste precari, tibi que persuade, quot animas adjuturus es, totidem apud Deum tibi fore oratores. Pinelli de altera vitâ l. 1. c. 28. Hic videre erat in imagine urbem, & animas juvenum specie candicantibus vexillis ac vestibus Duci Eusebio suam operam deferre, nec mortuis tantum coloribus, verum etiam per pueros equites, qui imaginem sequebantur res adumbrata est. Quos inter puer nobilis Ducem Eusebium splendido cultu, armisque: ceteri Eusebii proceres habitu referebant.

Spectaculum 4. Argumentum in scuto. Solatium animabus præbitum solatio morientis pii manes compensant. Titulus. 1. vario pietatis studio animas non paucas piacularibus flammis exemerat vir plurima virtute nobilis. 2. Correptus ægritudine fatali dum anxie nimis secum super animæ suæ salute disputat, 8000. circiter Cœlitum armatorum millia reserato cœlo vidit descendere. 3. Macte animo, inquit, ne trepida, dimicanti tibi adsumus animæ, quas tuis olim conatibus cœlo asseruisti, jam jam te rectâ in cœlum deducemus. 4. mirè hoc spectaculo recreatus æger placidissime desit vivere. Moriatur anima morte justî hujus. Binettus de statu animarum c. 1. ex Baronio. hic spectabatur depictus æger fatali in lecto porrectis ad animas multa in luce descendentes manibus; parte alia dæmonibus anxietatis authoribus à lecto sese propipientibus.

Spectaculum 5. Argumentum, ac cœtera in scuto. Sacra Communio lytrum est purgantium animarum. Titulus. 1. fuit, teste Blofio, qui ad Synaxim infrequens accederet, eamque piaculari flammâ negligentiam penderet. 2. Sicut ille spectabilem sese amico quondam suo, & si vel semel, inquit, mei causâ, sacrâ mensâ te refeceris, illicò liberabor. 3. Recipit amicus id facturum sese: sumptâ Eucharistiâ, percepit actutum sui supplicis libertatem. hic in imaginis parte una amico supplicabat anima flammis circumdata; parte alia ubi de manibus Sacerdotis Eucharistiam amicus susceperat anima veste candida multaque luce coruscans ferebatur in cœlum. Blof. in Monili. Spir. c. 8.

Spectaculum. 6. Argumentum. Pietatem in animas, quo potes studio promove. Titulus 1. magnus ille Thaumaturgus Franciscus Xaverius Indiarum & Japoniæ Apostolus. Tit. 2. Post solis occasum cives Malacenses tintinnabulo excitos solemnî carmine ad solatium defunctorum invitabat. Sequebantur puellæ quæ gestabant rem coloribus adumbratam. Ibat Xaverius per plateas, compitaque, quæ ars expresserat, sine pallio, aperto capite, lavâ tenens tintinnabulum, dextram in cives, qui tristis excitati sonitu hinc inde è fenestris prospectabant, intendebat. proximè legebatur illud Jerem. c. 8. *Tu quoque clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Accurrite, accurrite: Dei, & nostri amici jacent in ignibus. hoc loco alternis ingeminare debebant parvuli tintinnabula agentes, 1. *Miseremini mei.* 2. *Miseremini mei.* 3. *Saltem vos.* 4. *amici mei.* hæcenus procedebant pueri, & puellæ habitu potius ad pompæ ostentationem splendido, quam ad exprimenda, quæ titulis, & imaginibus exprimebantur, accommodato, personati tamen ut Angeli, & virtutes. Cætera subsecuta turba pœnas Purgatorii, animasque juvandi methodum variam, titulis, habitu, symbolisque denotabat. Præibant animæ pœnarum Purgatorii simulacra; suus cuique adhærebat comes Angelus Custos. Animæ primæ hoc erat lemma, pœna sensûs, *Manus Domini tetigit me.* Animæ 2. tetigit me tam miris, quam horrendis modis. Angeli Custodis hic erat titulus, servatis justitiæ legibus. Animæ 3. titulus, miseram me pro levibus noxis! Angeli titulus, ob leves noxas in oculis hominum. Anima 4. in scuto ostentabat, pœna damni, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Angelus: omnibus persolutis debitis. Anima 5. *Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* Angelus;

» lus; quia dereliquerunt te propinqui tui, &
 » qui te noverant, obliti sunt tui. Job. 19.
 » Spectaculum 7. pœna temporalis: mi-
 » seram me, cui spatium breve est sæculum!
 » Angelus: hoc supplicium exigit brevis
 » olim tua, sed noxia vanitas. Anima 7.
 » miseris opem ferre, quam potestis. Hjs
 » accedebant, quæ ex suis symbolis dignosci
 » poterant, varia bona opera. primū Opus
 » bonum, seu virtus prima, in tabella inscrip-
 » ta præferbat: Suffragari animabus pote-
 » stis per orationes, hæc gestabat rosarium,
 » & libellum. Virtus 2. per jejunia, In patina
 » uvas passas, amigdalas, &c. Virtus 3. Per
 » eleëmofynas, cui symbolum, marsupium è
 » quo porrigebat pecuniam. Virtus 4. Per
 » sacrificium Missæ; Symbolum ejus missale,
 » cæteraque supellex sacra. Virtus 5. Per
 » Indulgentias; Symbolum ejus, diploma
 » Pontificium. Virtus 6, Per corporis affli-
 » ctiones, Symbolum ejus flagellum, &c.
 » Agmen clauderet Jesus hac sententia:
 » *Quod uni ex minimis meis fecistis, hoc mihi*
 » *fecistis.*
 » Porro cum ad supplicationem hanc tum
 » ad illam Indulgentiam eo die acquirendam
 » tantus fuit concursus ac pietatis ardor, ut
 » R. D. Decanus affirmarit universos, qui per
 » annum illic communicant in honorem
 » Rosarii, funiculi S. Francisci, & Scapulares
 » (quorum Sodalitates in eâ urbe sunt, quam-
 » vis non sint eorum directores Ordines Re-
 » ligiosi) ne mediam quidem partem attingere
 » illius numeri, quem supra eo die fuisse
 » significavi. Porro præter hætenus enu-
 » merata, in supplicatione multæ pro oppido
 » illo adluxere faces quas cives in honore V.
 » S. circumferabant, Et tanta V. S. comitan-
 » tium turba, ut quâ ibamus vix ullus specta-
 » tor appareret. Incolæ nûmquam simile à
 » se visum dicitarunt. Hætenus ipse.

PARS TERTIA.

*Ex cæteris adiunctis Communio
 Generalis expenditur.*

1020.
 Causa in-
 dulgentiæ
 Com. Ge-
 neralis.

Satis equidem ex dictis elucet Synaxeos & arboris nostræ præstantia: satis ubertas illius fructuum. Verumtamen alia restant, nec præteriri possunt, quæ longè, nisi fallor, ampliùs eam illustrant. Ac primum occurrit causa, cur indulgentiæ Synaxeos à Pontifice concedantur: *Ad augendam, ait, fidelium religionem, & animarum salutem.* Igitur causa hæc est duplex. Prior ad religionem, maximè scilicet, ac ferè propriè in Eucharistiæ augustissimum mysterium. Posterior ad salutem animarum procurandam. Cum ergo

è certior indulgentia sit, quò causa illius concedendæ dignior, hujus utriusque causæ dignitas tantisper nobis metienda est. Quid vero sublimius? quid divinius eo mysterio? quid igitur augmento religionis in illud nostræ sanctius, aut veniâ noxarum dignius? Cum enim religio illa sanctissima sit, propterea quòd Deum pariter atque hominè, Christum, in Venerabili illo Sacramento fide maximè arduâ credat, & velut principium rerum omnium simul cum transubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi protestetur, & colat, augmento illius nil potest esse sanctius. Et cum Sacramentum illud summè pignus amoris sit, abesse nequit, quin in eo servator noster ad amorem ac benignitatem summoperè propendat. Jam què meliùs eam religionem amplifices, quàm epulis divinis accumbendo, quandoquidem Communio, ac Generalis præsertim, publica veritatis Eucharisticæ declaratio sit, non voce, sed factò ipso, & simul ex opere operato amorem in Christum augeat, ac proinde illius venerationem? Quibus adde inter eam obeundam palam exponi in hierothecâ ipsum Christum, cujus aspectus, cultum, amoremque in animis intuentium ciet. Adde quoque eum cultum solemniori apparatu, & musico cantu exsuscitari. Quibus omnibus salus animarum, quæ posterior indulgentiæ largiendæ causa est, non mediocriter augetur. nam eâ profectò charitate præsertim stabilitur, cujus illicium, fomentumque est divina Communio. Cui cum præmitti vel debeat, vel solita sit sacramentalis exomologesis, si gratia sanctificans deerat, per eam in animam invehitur; si aderat, cumulatùr. Accedit cruciatuum lustralium commemoratio, quæ plurimum valet ad animos à noxis etiam levibus deterrendos: ex quo fuga lethaliùm sponte exoritur. Atque hæc è amplius confirmant, augentque spem salutis, quò frequentius iterantur. Quibus si multitudinem concurrentium ad eandem Synaxiam, idemque tempus adjunxeris, comperies haud dubiè singulari rem hujus indulgentiæ consequendæ securitatem. Atque hoc etiam respectu Synaxim Generalem ex vero dices veram esse arborem vitæ, & præcipuo quodam jure illi convenire, ut vitam parere censeatur immortalem.

Verum id longè etiam luculentius patebit ex sequenti illius adjuncto. *Quomodo enim, seu quo eventu, quo successu, qua celebritate ac frequentia Communio illa obitur? Rem sanè prodigiosam! Romæ quidem ubi cœpta est, duodeviginti, aut*
 S f 2 viginti

1021.
 Quomodo
 seu quo
 successu
 Communio
 Gen.

viginti plus minusve hominum millia ad eam de more confluunt. fuit cum triginta millia divinis epulis accubere, adeo ut ad vespertas usque sacra mensa continuaretur, cum bona summi Pontificis venia. Jam Olyssipone in æde Domus Professæ Soc. Jesu viginti quinque millia uno ejusmodi die divinâ escâ pasti sunt. Panormi octo & viginti millia. In Belgio ut non sint tam frequentes incolis civitates, quia ipsæ pro regionis mediocritate permultæ, tamen Antuerpiæ, ac Bruxellæ ad sex, septemve millia divinâ mensâ assidere solent. Insulis ad octo millia ipso indictæ primùm Generalis Synaxeos die, sacro pane refecti sunt, post eadem pietas vigorem suum semper in hodiernum usque diem conservavit. Quid de Duacensi urbe, minimè populosa dicam? in qua convocatis ex agro circumjacente mortalibus, quinquaginta Sacerdotes nostri audiendis confluentium ad eandem Synaxim confessionibus aliquando occupati sunt. Quid? quod cum Divione in Burgundia, Rector Collegii Societatis animi penderet, an populo Synaxim Generalem proponeret, quod propè desperaret felicem illius successum, statim ab ejus exordio totum templum nostrum communicantium multitudine refertum est. Quid de ruralibus ejusdem modi Synaxibus loquar? In agro Tornacensi uno in pago bis mille convivæ Eucharistici aliquando recensiti sunt. Sed eorum pleraque jam vetera. Et notum est primos cuiusque pietatis velut impetus esse vehementiores, sensim autem remitti. Audiamus igitur an & hæc paulatim senescat.

Narrat Nadazi noster in annuis Societatis Jesu, miram anno 1653. variis in Provinciis Communionis Generalis frequentiam, in hæc ferè verba. Compertum est in Generali Communione vix quartam Bœtica partem, eamque non omnem à sacro abfuisse convivio; certè tanto undantium populorum æstu, tanta undique cantantium voce, ac ardore, celebrata res est, ut visum quibusdam sit cernere quandam decretorii dici effigiem, populosque confluerè, tanquam supremâ tubâ excitos. Item eodem anno in quadam missione Provincia Romanæ multa millia ad eandem Synaxim convenère è quibus multi longo supplicantium ductu, sub vexillis, nudis vestigiis advenère. Variæ se cruciandi artes repertæ pro ingenio pietatis: catenis alligati, alii aliis ibant unâ, bini & bini, alii catenâ à collo, alii à pedibus, alii à brachiis pendebant. Duo venerandi Sacerdotes insertis jugo collis, ut jumentum facti coram Deo, & à puero fune tracti

Ubique mœsta rerum facies, ea oculis, & auribus objectabat, quæ pœnitentiam clamarent voce, lachrymis, flagris, sanguine, imagine Crucifixi. In ejusdem Provincia Romanæ quadam missione Communio Generalis mille numerabat, qui ad animas, indulgentiarum vi, è Purgatorio eruendas receperunt se quot mensibus ad obeunda sacramenta diligentes, constantesque futuros. Atque hæc in oppido montis Varchi gesta, clero ac populo primùm quidem invitis, deinde verò longè volentissimis, tantoque affluxu, ut Communio Generalis templi angustias egressa in foro debuerit celebrari. Anconæ eidem Communioni Generali celebrandæ præmissa est in 4. templis primariis missio, ut præparatò celebraretur. Ea præparatio solemnè per urbem ductu facta, eaque frequentia, quantâ nullam unquam celebratam meminerint seniores. Putantur ab illa Synaxi tota urbe pauci admodum abfuisse. In Turciâ Quinqueecclesiensium, apud Hungaros missione, Generalis quot mensibus Communio tam celebris est in usu, populi æstimatione, atque frequentia, ut non secus atque ad solemnes nundinas plena sint Urbis compita, & suburbia conferta multitudine curribus adventantium. Propterea Turcæ quoque occasione usi merces exponunt, affluuntque vicinâ oppida venalitii quæstus causâ. Infinitus sum, si cetera ejusmodi persequi velim.

Quocirca nonne meritò Synaxis ista Generalis vocatur, ad quam omne hominum ^{1022.} generis tantâ copiâ accurrit? nonne iterum ^{Restè vocatur. Generalis.} meritò sic nominatur, cum cetera ejus respectu privatæ ac particulares nuncupari queant? nonne cum convivio Assueri rectè componi potest, de quo sic facit Historicus. *Tertio igitur anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclivis, & Præfectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque instantiam potentia suâ. multo tempore, centum videlicet, & octo diebus. Cumque impleverentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus in Susa à maximo usque ad minimum, & iussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu constitum erat. Et postea. Bibebant autem, qui invitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur, vinû quoque, ut magnificentia regis dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur, nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum; sed sicut Rex statuerat, præponens mensis singulos de Principibus*

Principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet. Esth. 1.

1023.
Cur similis
convivio
Assueri.

Enimverò grande illud convivium, SS. Patribus Interpretibus, Eucharisticum adumbrabat, quod quidem Principibus, atque inclytis, sive eximiis Dei servis potissimum paratum est: sed tamen omnis deinceps populus ad illud invitatus est, id est, maxime per Synaxim Generalem omnes divinis epulis accubere. Et verò in eâ quoque cibi aliis atque aliis vas inferuntur, id est, sacerrimum Christi corpus, quod unum innumeris cibis æquivalens, variis formulis infertur. Deinde aureis etiam poculis bibitur, & vinum quidem magnificentia regiâ ac divinâ dignum, quia sanguinis Christi merum cum chatitate aureâ, quam tanta hominum copia excitat, atque ex aureis, autatisiue alabastris potatur. Neque hic est, qui nolentes cogat ad bibendum, sed unusquisque quantum vult, sumit, quia plus minusve gratiarum Sacramentum quisque ex convivio Eucharistico accipit pro animi devotione, ac piâ voluntate. Locus porro convivii hic pariter hortus est, quia ut prius ostendimus ædes sacra hortus est, & quidem regiâ ac divinâ manu confitus.

1024.
Numerus
animarum
liberatarum
per Syn.
Gener.

Cùm igitur omnis populus, id est, permulti ex omni mortalium genere ad hoc convivium conflant, in eo quoque Synaxis Generalis arbori vitæ æquiparatur. nam sicut ex arbore vitæ omnes edere opus fuisset ad immortalam vitam consequendam, ita omnes, sive propè omnes, ad Synaxim illam accedunt, saltem intra annum, aut longiusculum tempus, ut veram immortalitatem vel sibi, vel pijs manibus parentum, & amicorum comparent. Quot verò arbitraris animas per omnes totius orbis Synaxes Generales tantâ epulantium frequentia celebratas, pœnis expiaticibus liberari? Vis conjectemus? Pone igitur, quod Romæ sæpe accidit, unico die interesse Sacræ mensæ octodecim millia, pone à singulis quartæ illorum partis, singulas animas liberari; unico illo die quater mille quingentas in cœlum evadere facies. Spatio autem unius anni quinquaginta quatuor millia; intervallo porro viginti quinque annorum millionem, ac trecenta quinquaginta millia. Quinquaginta denique annis Synaxis Generalis liberaverit Romæ duos milliones, ac septuaginta millia piorum manium. Proh numerum! proh immensam charitatem Communionis Generalis! Sed pone octo dumtaxat communicantium millia, & quartæ illorum partis singulos singulas animas cœlo donare; anno unico cœlo invehentur Synaxeos be-

neficio viginti quatuor millia, quinque porro ac viginti annis trecenta millia; quinquaginta verò, sexcenta millia. Verum plures simul Communiones sumamus, faciamusque duodecim præcipuis Belgii civitatibus numerari dumtaxat quatuor conviviarum millia; unico anno per Belgium centum quadraginta millia animarum Purgatorio eximentur; viginti verò ac quinque annis tres milliones sexcenta millia. demum quinquaginta annis, septem milliones ducenta millia animarum cœlesti regno donabuntur. Potuitne aliquando, vel fodalitas, quæpiam per totam Europam sparsa, vel religio, seu Trinitariorum, seu Cruciferorum, seu à mercede dictorum tot captivos ergastulis, ac captivitate Turcicâ hæctenus liberare, quot Belgii Communitio Generalis ex arumno-sissima captivitate Iustrali animas vindicavit, vel anno unico? Potueruntne universi hæctenus Redemptores tot eximere, quot eadem Communitio Belgica per viginti annos? Si quis autem nos communicantium promiscuæ multitudini nimium dare arbitretur, dum quartam ejus partem plenæ indulgentiæ compotem facimus, animarumque redemtricem, meminerit in eâ multitudine facile quartam partem ex pijs conflari. Deinde si volet, altero tanto numerum assignatum minuat, & etiam tum comperiet plures animas toto Belgio per Synaxim Generalem Purgatorio intra annum liberari, quàm hæctenus è Turcarum captivitate liberati sint, aut liberari possint, quantumcumque impendiis.

Ad extremum ultima circumstantiarum perpendenda est, quando tot, ac tantos fructus hæc arbor vitæ progneret. De terrestri quidem nihil proditur in sacro instrumento. At Malvenda Ordinis Prædicatorum de fructibus paradisi voluptatis c. 66, ita disserit. *De fructibus quarunt, num semper arboribus inessent, an verò stantis dumtaxat temporibus producerentur, & num aliarum æstate, aliarum autumno fructus maturescerent, ut apud nos. Existimamus perenni successione, atque continua, arbores fructiferas extruisse flores, qui mox in fructus celeri maturitate coalescerent; decerpio autem, vel deciduo fructu statim florem novum in locum ejus enasci, qui deinde in fructum maturesceret, sicque semper continuam illic vicissitudinem efflorendi, & fructificandi in arboribus persisteret, ita tamen quod alterna, & mirabili varietate in unaquaque fructifera arbore, & semper inessent aliqui flores, & fructus alii virides, alii maturescerent, alii maturi, quod ad pulchritudinem arborum, & ad præstantiam*

1025.
Arbores
paradisi
fertiles.

præstantiam loci eximie facit. Hactenus Malvenda. Cui favere videtur Tertullianus in quodam carmine. certè quidem ratio ab illo stat, quia cum in Italiâ ficus, aliæque arbores biferae reperiantur; cum in Indiis id non uno loco obtingat, quid mirum si in paradiso terrestri, terra necdum maledicto divino subjecta, arbores semper florent, ac fructificent? Quod si verò id cuilibet arbori illius paradisi innatum erat, quantò magis arbori vitæ concessum credi debet, cum hæc omnium longè esset præstantissima?

1026. Sed quid de cælesti arbore vitæ dicendum? *In medio plateæ Ierusalem cælestis,* ait Joannes, *& ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.* Hæc ille. Ex quibus manifestum evadit semper esse fructibus refertum, juxta illud Ezech. cap. 47. de terrestri arbore vitæ, *Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per singulos menses afferet primitiva.* Quæ res singularem Communionis Generalis, sive nostræ arboris vitæ affinitatem cum cælesti arbore designat. Et hæc enim nostra per singulos menses fructum suum effert, & hic per singulos menses vegetat sacra mensæ accumbentes, atque adeo pios manes alit, denique reddit illi, ad quam anhelant, beatæ immortalitati. Deus bone! quanta illa fecunditas! quàm multi intra annum per univèrsam terrarum orbem fructu illo, ejusque foliis pasti, vel præparantur ut mortales, vel expediuntur, ut pii manes, ad æternam felicitatem! Vos o Custodes Genii, qui sæpe cum admiratione tantam utrorumque vim spectastis, dicere soli potestis: nobis ne licet quidem cogitando assequi.

1027. Quamobrem quis te, O nobilissima vitæ arbor, O Communio Generalis, non amet? quis non laudet, ac frequenter? Narrat Plinius l. 16. c. 44. Passienum Crispum bis Consulem, in suburbano agri Tusculani arborem quamdam adeo adamasse, ut osculari, complecti, frequens sub eâ cubare, eique vinum affundere non dubitaret. Et traditur Regem Xercem cum terrâ novaitinera, marique insolitam navigationem in Græciam institueret, platanum proceram in Lydia tantopere admiratum, veneratumque esse, ut ejus amore insanire videretur. Etenim posthabitis Jovis operibus ac sacrificiis integram diem juxta illam commoratum, castra circumposuisse in solitudine, torquem auream, armillasque ex eâ suspendisse, auream platanum, quæ amatam referret, fundi jussis-

se, ut mentis aestuationem, mœroremque ex ejus absentia leniret, quin & custodem apposuisse, qui servaret. nos igitur quantò fatius arboris nostræ amore capi nos sinemus, quantò æquiùs eam colemus, ac celebrabimus?

Quæ cum ita sint, iterum, iterumque te obtestor, o amantissima Parens mea Societas Jesu, ut fructus hujus arboris vitæ eo, quo cœpisti, studio, & eâ, quæ per quadraginta, & amplius annos constantiâ continuasti, mortales, ac mortuos pascere ad extremum usque non desinas. Eia sit etiam illa ratione ista Communio *Generalis*, quod Socii omnes, hi concionando, illi exomologeses audiendo, alii Synaxim distribuendo, alii altaria, ædemque orando, alii orando perficiant, ut multi confluant, multi è piis manibus cælo inferantur, omnes denique ad ejus celebritatem operam conferant. Sit præterea *Generalis*, quod sedulitate tuâ omne hominum genus, Græci, ac barbari, Europæi, Asiatici, Africani, Americani, quacumque demum sol radios, ac diem spargit, id est, quacumque sedem habes, hæc divina pietas ad defunctorum solatium diffundatur. Ita efficies ut sit quoque *Generalis*, quod omnibus generatim usui sit, Deo ad majorem ejus gloriam, Immaculatæ Mariæ ad immensam pro filiorum liberatione lætitiâ, Angelis ad singulare pro vacuum cæli sedium occupatione gaudium, Beatis ad novam quamdam ex novorum sodalium accessione beatitudinem, piis manibus ad ingens solatium, mortalibus denique ad salutis suæ confirmationem, parentumque, & amicorum suorum celestem à tantis pœnis abolitionem.

Enimverò, pace dicam tua, o Mater, ad id officii multiplici nomine obligaris. Etenim si te Christi aciem dixerò, non aberraverim à veritate: nam & *Societas* nomen hoc indicat, & Dux Ignatius relicta sæculari militiâ, se, ac suos Imperatoris Jesu signis per exercitia spiritalia, ac solemne sacramentum addixit, & S. Theresia Jesuitas cum candidis labaris gloriâ florentes, Antichristo bella moturos divinitus accepit: & experientia testis est ipsos ubivis *Bellare bella Domini.* Quamobrem nefas est, ut animas ejusdem Domini Jesu laboribus ac sanguine partas, quas hactenus tutata es, derelinquas, donec in Christi regnum optuâ introducantur.

Quod si Matris animarum nomen, ut pote suavius, magis tibi arridet, & hoc tibi jure convenit, sive quia ad hoc nata es, ut Sponsa tuo Christo filios, ac filias afflatu Spiritus Sancti generes: sive quia illos lacte doctrinæ

1028.
Epilogus
ad Soc. Iesu
su ut Synaxim
continuet.

1029.
Quia obligatur ut
Christi acies.

1030.
ut mater
animarum.

doctrinæ cælestis, à teneris educas in scho-
lis, ac Sodalitatibus, sive quia per cōciones,
hortationes, absolutiones Sacramentales
eosdem mortuos vitæ frequenter restituís:
non igitur est consentaneum, ut eadē
animas subsidio tuo destituas, quando velut
infantes nihil quidquam pro se apud Deum
fari queunt, aut ullatenus se juvare in Pur-
gatorii tormentis, ac doloribus infandis.

1031.

Et ordo
Angelorum
custodum.

Sed libet te *Tutelarium Angelorum*
Orānem dicere; nam illorum munia exer-
ces, quā illuminando animas, quā permo-
vendo ad virtutem, quā revocando ad sal-
lutem, quā ducendo ad patriam cælestem:
neque quisquam Societatis Jesu se germa-
num filium arbitrari potest nisi Custo-
dem animarum præster. Itaque ut Cust-
odes Genii purgandas animas ad eunt,
solantur, adjuvant, omni ope operaque
tum suā, tum alienā, quam à mortalibus,
& immortalibus implorant, iis adsunt; sic
tuā interest, ô Societas, clientes animas
benevolentiam complecti, & omnibus cha-
ritatis officiis prosequi, dum ad Patrem
æternum, hæreditatemque paternam per-
veniant.

1032.

Quid spe-
randum.

Quod si feceris, si Communionem
Generalem, & piorum manium liberatio-
nem de more procuraris; O quā amica,
faustaque toto Purgatorio acclamatio;
quā gratus omnium istic captivorum
animus! quanta, ut omnes tui conatus ad
gloriam Dei vertant, omnium comprecatio
resonabit! quanta denique, dum inde
erepti fuerint, omnium aggratulatio toto
cælo, & æternū quidem audietur! Refert
Pontus Heuterus in Carolo Quinto;
cū Inclytus hic Imperator captum Tu-
netum victor intraret, servos omnes Chri-
stianos, qui viginti millium numerum su-
superabant, liberos statim pronunciaffe.
Inter hos porro non pauci erant viri nobi-
les, quorum plerique octo, decem, aut
quindecim aureorum millia pro sua liber-
tate frustra obtulerant. Cū ergo in con-
spectum Cæsar venisset, illi licet Franci,
Italiæ, ab ejus corpore ne intentatis qui-
dem minis depelli poterant, ad pedes
prosternebant se seminudi, squalidi, ver-
beribus foedati, macerati, ac præ gaudio
sui impotentes, ut vel ejus calceos in grati
animi signum exosculari liceret. Quare
Cæsar ut eorum desiderio satisfaceret, in
sede se locans pedes, genua, manusque
exosculandas præbuit, vestes singulis, at-
que aureum unum dedit; quo accepto
tanta cum lætitia sese ad sua recipiebant,
tantā animi propensione fausta Cæsari,
ejusque exercitui precabantur, ut omnibus
lacrimas excuterent.

Quis igitur explicet, quis mente capiat 1033.
quantas, & quā medullitus pii manes *Quanta*
habitori sint grates vindicibus suis, filiis *gratiarum*
tuis, O Societas Jesu! Quis comprehen- *actio de-*
dat, quanta in Purgatorio, quanta in cælo *functorum*
congratulatione omnia resonent, cum re- *pro Com.*
cordantur, quod oblivisci nequeunt, non *Gen.*
liberationis viginti millium è Tunetensi
captivitate, sed viginti, & amplius Millio-
num, quos filii tui per Synaxim Generalem,
per adhortationes, per suas, & alienas satisf-
actiones, per Missas, & alia suffragia ope-
rā suā illis addictā, longè deterrimā om-
nium captivitate vindicarint! Profectò ea
sola spes solari abundè potest ac debet fi-
lios tuos, dum de more, impiorum à dæ-
mone instigatorum maledictis, imò & pio-
rum hominum de se per errorem sinistrè
sentientium obtreccionibus, criminatio-
nibus, ac susurracionibus lacerantur, &
ea, inquam, illa spes te universam ad illud
studium in pios manes non modò conti-
nuandum, sed & magis accendendum, de-
bet urgere. Et urget, scio; at maximè cha-
ritas Christi, ac gloria Numinis, quæ ex
eo summa efflorescit. Quamobrem ut in
arbore vitæ, unde exorsit sumus, orationem
concludamus, perge illā mortales, ac pari-
ter mortuos alere per singulos menses; nec
dubita, quin eadem arbor, quæ etiam Cæ-
lites pascit, filios tuos immensis & im-
mortalibus fructibus sui deliciis sit cumula-
tura.

ARTICULUS IV.

Peregrinationes Religiosæ de- functos sublevant.

NON est dubium, quin peregrinatio- 1034.
nes ad loca sacra studio pietatis obi- *Peregrina-*
tæ, Deo gratissimæ sint, atque ad eò gratiam *tiones Deo*
ejus ampliorem obeuntibus concilient. *grata.*
Constat enim ipsas à Numine ipso per
Moysen præceptas Deuteronomii 16. ubi
Israelitæ ter in singulos annos ad taberna-
culum, seu templum Domini itare jubentur.
Id quod studiosè observatum olim
ab Helcanâ, ejusque uxore Annâ, Samue-
lis matre, imò etiam à Christo, ejusque Im-
maculata Parente, ac Josepho; ut meritò
impietatis nota inuri debeat Calvino, dum
quodam loco religiosas peregrinationes
impietatis arguit: Jeroboamo hac re non
absimilis, quem Josephus Historicus nar-
rat à peregrinatione Hierosolymitanâ Tri-
bus sibi subjectas avocasse, quòd diceret
Deum ubivis terrarum esse, ac coli posse,
quasi peregrinos illos ad ædem Jerosolymi-
tanam